





56.

750.

1701, 5 7

B. C. D.

CAROLUS LUDOVICUS,

S. R. IMP. TRUCHSESSIVS HÆREDIT,
COMES DE WALDBURG.

DISSERTATIONEM ACADEMICAM

De
CRIMINIS
ABOLITIONE,

Ob diem insignem

Occasione L. 8. ff. ad Senatus Cons. Turpili,
Ex consensu

Amplissimæ Facultatis Juridicæ,
In

ACADEMIA ALBERTINA.

SUB PRÆSIDIO

DAVID STAVINSKI,

J. U. L. & P. P. Extr.

Publice ventilationi subjicit

Ad diem Januar. Anno 1701.

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, S. R. MAJ. & ACAD.
TYPOGR. HÆREDUM,



07

FRIDERICO

PRUSSIAE REGI DI-
VINITUS INAUGURATO
AUGUSTO PIO,

D. 18. Jan. A. 1701.

757

S O P H I Æ
C H A R L O T T Æ,

R E G I N Æ R E G I N A -
R U M S E L E C T Æ, A U G U S T Æ
N O S T R Æ E X O P T A T Æ, R E G I O P R U S -
S I Æ I N S I G N I T Æ F A S T I G I O,

D. 18. Jan. A. 1701.



Æpe oblata Majoribus, nunquam vero accepta fuit Regia Corona. Respublica enim Polonorum Ao. 1446. Vladislao Rege in prælio adversus Turcas infeliciter defuncto, FRIDERICUM II. sibi elegit Regem. Et post duos deinde annos eidem FRIDERICO oblata fuit Corona Regni Bohœmici; sed utramque magna Modestix Generositate (Æneâ Sylvio teste) recusavit. Eadem Dignitate Regia Divus FRIDERICUS WILHELMUS, M. corruscare potuisset, nisi Svecicam & Polonicam repudiasset Coronam. Nec VESTRÆ MAJESTATI defuisset Coronæ exteræ oblatio, si modo amor in subditos avitos, & Religionis pietas non aliud svasisset; hinc Patria Corona

rona præfertur exteræ. Jam itaq;
 Subditi sub Clypeo Coronatæ Ma-
 jestatis tutiores & gloriosiores quie-
 scunt: jam via strata est, fœdera,
 felicius cum exteris Regibus pan-
 gendi in subditorum securitatem &
 BRANDENBURGICÆ Domus
 gloriam. Sic, Bono cum DEO, in
 Turbis exterorum quiete fruimur
 in gaudia effusi, & FRIDERICIA-
 NÆ Felicitatis omine læti. Nam
 licet nullus sit Marchio Branden-
 burgensis, qui non insignia Familiæ
 suæ incrementa adjecerit; impri-
 mistamen FRIDERICI Paternas di-
 tiones novis adjectis gloriose adau-
 xere. Sic FRIDERICUS I. Glo-
 riosissimæ Familiæ suæ Electoralem,
 intulit Dignitatem: FRIDERICUS
 II. primus se Ducem Pomeraniæ,

Stetini, Cassubiæ, & Vandalorum
scripsit: Et, ut alios præteream Felicitas & Virtus FRIDERICI WILHELMII M. Gloriosissimæ memoriæ facit, qui præter complures Provincias acquisitas, Supremum in Prussia Dominium obtinuit: **AVE VESTRA MAJESTAS, POTENTISSIME REX**, præter Terras patriis Ditionibus adjectas, Fastigium Progenitorum Suorum supergressa Coronâ (qua nihil gloriosius) posteritatem donavit. **O Felicissimum Augustissimumque FRIDERICORUM Nomen!** Splendoris Brandenburgici Augmentum, hostium Terror, subditorum propugnaculum. Huic Regali Diademate exornato **NOMINI MAJESTATICO** cordatissimum quemque subditorum sua sacra exhibere

re

re decet. Sed quid ego afferam,
 non habeo; conatus tamen sum,
 REX POTENTISSIME hoc qua-
 lecunque munus chartaceum tenui
 Minerva exaratum VESTRÆ MA-
 JESTATIS NOMINI Proteccio-
 nique, devota & submissa mentis
 veneratione, manibus licet tremu-
 lis offerre, VESTRÆ MAJESTA-
 TIS Gratiam humillime implorans,
 ut hosce primos studiorum meorum
 conatus vitâ, incrementô, & ulte-
 riori Clementiâ dignari velit. Vos
 quotquotcunque dantur Novo-
 rum Regnorum Vasalli, vestra meis
 associate vôtis, ut POTENTIS-
 SIMUS REX noster diu Felix, In-
 columus, Potens, Gloriosus, populo
 suo imperet floreat. Vivat & AU-
 GUSTISSIMA REGINA, VE-
 STRÆ MAJESTATIS Delicium

ac

ac Decus. Vivat denique Regiæ Stir-
pis SURCULUS ac SPES populo-
rum, DOMINUS meus Cle-
mentissimus, quod ardentissime vo-
vet

POTENTISSIME REX
VESTR. REGIÆ MAJEST.

Devotissimus & subjectissimus
Servus

CAROLUS LUDOVICUS, S. R. I.
Truchsessius hæreditarius.
COMES de WALDBURG.

§ (o) §
L. B. S.



Cogitantibus nobis, de quanam materia
 documentum publicum collocata haste-
 nus in Jure Civili operæ, exhiberemus, for-
 te se obtulit *L. 8. ff. ad Sc. Turpil.* de pu-
 blica criminis abolitione ob diem insignem,
 quâ ipsa commoti incidimus in cogitationem, ab hoc
 tempore felicissimo, quo ob summam Dignitatem Re-
 giam **PRINCIPI NOSTRO POTENTISSIMO**
ET CLEMENTISSIMO Divinitus collatam, omnes
 subditi gaudio exultant, non plane alienum fore, si
 loco speciminis publicæ pro ingenii nostri modulo
 expendamus, qua ratione & facinorosi ob crimen a-
 liquod squalido carcere inclusi hujus gaudii publici
 per Indulgentiam Principis participes fieri possint?
 Atque hanc nostram intentionem problemate Juris:
 utrum ob diem Coronatione, vel alia felicitate publi-
 ca insignem, reis juste abolitio criminis indulgeri
 possit? expediendam esse duximus, cui necessario
 Caput. de Abolitione Criminis ob diem insignem
 in genere, præmittendum fuit, ne ex diversa voca-
 bulorum significatione, circa rem ipsam oriretur ob-
 scuritas. Lector B. errores nostros, ut humaniter
 emendet, humaniter à nobis rogatur.

A

CA-

ART

CAP. I.

DE CRIMINIS ABOLITIONE OB DIEM INSIGNEM IN GENERE.

SUMMARIA.

<p><i>In Jure quid significet Crimen?</i> §. 1.</p> <p><i>Quid abolitio?</i> §. 2.</p> <p><i>Criminis abolitio sumitur vel late vel stricte.</i> §. 3.</p> <p><i>Stricte sumpta est triplex, legalis specialis & publica.</i> §. 4.</p>	<p><i>Quae tamen in Foris nostris non est usitata.</i> §. 5. & 6.</p> <p><i>Criminis abolitio late sumpta est hujus loci.</i> §. 7.</p> <p><i>Et à Principe facta ob diem insignem, non est diversa ab Indulgentia Principis poenam remittentis.</i> §. 8.</p>
---	--

§. I.

CRIMINIS vox in Jure duplicem videtur habere sensum. (1) significat ipsum reatum delicti, contra Leges Reipubl. commissi, ut in *L. 3. §. 1. ff. Stellionatus* (2) denotat etiam accusationem criminis, qua agitur ad poenam publicam reo imponendam *pr. Inst. de Susp. Tut.* ubi crimen suspecti tutoris ex *LL. XII. Tab.* oriri dicitur. Per crimen suspecti enim, ibi, non reatum, qui ex dolo vel perfidia Tutoris oritur, sed criminationem seu accusationem intelligendam esse existimamus, uti alibi passim *conf. L. 7. ff. de accus. L. 5. ff. de Calumniat.*

§. II. Verbum aboleo, quod proprie denotat, odorem perditum eo, vid, Gerh. Joh. Vossius in *Erim. Ling. Latin. sub Voc. Oleo*: usû tamen loquendi alias quoque qualitatatum corruptiones & cassationes significare videtur. Hinc in Jure, abo-

abolere Testamentum L. 25. ff. ad L. Cornel. de Fals. abolere in rem missi mem L. 1. pr. C. Comm. de Legat. abolere injuriam L. 11. §. 1. ff. de injuriis, abolere crimina L. 17. ff. ad S^crum Turpil. idem significat, quod tollere cassare obliterare & quovis modo enervare.

§. III. Criminis itaque abolitio in Jure Romano pariter dupliciter sumitur, vel late vel stricte. Late pro reatus vel ipsius delicti cassatione seu remissione, L. 12. §. 1. ff. de Accusat. Stricte vero denotat remissionem accusationis ante definitivam sententiam accusatori indultam, L. 1. §. 9. & 10. l. 4. §. 1. l. 7. pr. l. 15. pr. & §. ult. ff. l. 16. ff. ad S^crum Turpil. Hanc abolitionem capropter is, qui ad accusandum reum alicujus criminis citra animum calumniandi quidem, justo tamen errore, dolore, aliave probabili causa, commotus erat, impetrare necessum habebat, ne absque criminis abolitione ab accusando desistens ingravissimam Senatus consulti Turpiliani incideret poenam, vid. l. 3. §. 3. ff. de prævaric. Zæf. ad ff. Tit. ad S^ct. Turp. n. 3.

§. IV. In hoc sensu stricto Criminis abolitio in Jure Rom. triplex est (1) Legalis (2) Specialis seu privata (3) Generalis seu publica. Illa à Lege conceditur reo mortuo, vel accusatore defuncto, aut justa causa, velut morbo impedito, quo minus accusationem semel institutam peragere possit, L. 15. §. 3. ff. ad S^ct. Turp. Wesenb. ad ff. Tit. ad S^ct. Turp. n. 10. Illa, accusatore postulante causa cognita, concedi solebat à præside vel alio Judice competente (non à Principe L. 1. C. de Abol.) ubi in causæ cognitionem veniebat an calumniose accusatio fuerit instituta, an vero ex errore calore vel justo dolore: an reus assentiatur abolitioni nec ne? nam nec calumniatoribus, nec si reus jam aliquid occasione accusatio-

227

4
nis perpeffus fuerat, eo invito accusationis abolitio conce-
debatur. *L. fin. §. 1. ff. l. 2. & 3. C. de Abol.* Duaren in *Com. ad
Tit. ff. ad Sc. Turp. c. 3.* Hæc denique est, quâ Princeps, ad
nullius instantiam, proprio matu, ob diem, factò quodam
memorabili, insignem, ob publicam lætitiã, vel aliam
festivitatem, ob possessionem vel dignitatem Regni adeptam,
ob rem prospere gestam, ob natalem filii, vel aliam simi-
lem causam, non unius tantum sed omnium omnino crimi-
num, *vid. tamen L. 3. C. de Episcop. Aud.* accusationes remitte-
bat & abolitionem criminis concedebat, *L. 8. 9. 10. ff. ad Sc.
Turpil. l. fin. C. de Gen. Abol.*

§. V. De hisce abolitionis criminum speciebus Juris
Rom. latius differere supervacaneum faret; quia in Foris no-
stris reus quispiam raro permodum accusationis (propter
onus probationis & expensarum litis; quod accusator su-
bire tenetur *Pr. Cr. L. 6. T. 1. A. 2. §. 4.*) frequentius per mo-
dum delationis in iudicium deferri solet, quo factò, Iudex
ex officio contra reum inquirat; Pœna quoque Senatus Con-
sulti Turpiliani, qua desistens ab accusatione, non impetra-
ta abolitione, infamia notabatur & quinque libris auri mul-
tabatur. *L. 3. §. 3. ff. de Prævaric. Zoes. ad Tit. ff. ad Sc. Turp.
n. 5.* hodie est inusitata. Unde quod de abolitione crimi-
num in Jure Rom. legitur, in foris nostris plane abolitum,
esse uno ore Dd. fatentur conf. Simon à Greeneweg, *de
LL. Abrog. in C. L. 9. T. 43. & 44. Wissenb. aliique ad Tit. ff. ad
Sc. Turp.* quare & nos operæ pretium non esse arbitramur
circa Jurâ inusitata diutius hæzere.

§. VI. Et quamvis tertia, Species abolitionis à propo-
sito nostro non plane videatur esse aliena; ea tamen par-
tim latior partim angustior est, intentione nostra. Latior,
quia ex variis causis à principe olim concedebatur, quas sin-
gulas

gulas perferutari, non est propositi nostri, cum saltem ob diem insignem abolitionem à Principe concessam Dissertationis hujus obiectum constituerimus. Sed & illa angustior est nostra intentione, quia per illam ab accusatione duntaxat eximebatur reus, idque ad tempus solum, non in perpetuum. Nerape illa abolitio Criminum, quæ ob diem insignem feriarum olim fiebat, durantibus duntaxat feriis, liberabat reum ab accusatione, *L. 3. C. de Episc. Aud.* ne tempore publicæ lætitiæ in sordibus & luctu hærerent Wesenb. *ad Tit. ff. ad Scit. Turp. n. 10.* exceptis quibusdam criminibus atrocioribus, quibus ne tempore feriarum quidem immunitas ab accusatione concessa fuit, *d. L. 3. C. de Episc. Aud.*) Feriis vero elapsis, ad huc intra 30. dies repeti poterat accusatio, *L. 12. ff. ad Scit. Turp.* Illam tamen abolitionem quæ ob natalem filii olim fuit indulta à Principe, volunt fuisse perpetuam *arg. L. 3. C. Theod. de Indulg. vid. Eman. Gonzalez. Tellez, ad L. 5. Decret. Tom. 1. C. 14. n. 6. in fin.*

§. VII. Latum itaque Criminis abolitionis sensum intentioni nostræ applicamus & hac in Dissert. acturi sumus de Processus Criminalis, sive per modum accusationis, sive quod hodie frequentius fit, per modum inquisitionis instituti, cassatione seu abolitione, quâ Princeps reum quempiam non solum ex carcere, sed & à pœna criminis in perpetuum liberat, Utrum talis abolitio in die, solenni Principis Coronatione, insigni, recte fieri possit, ut & ipse facinorosus hujus lætitiæ publicæ fruitione ad sanio rem mentem & meliorem vitam perducatur?

§. VIII. Equidem novimus Principis indulgentiam distingui solere, à criminis abolitione, eo quod illa pœnam per sententiam reo jam impositam vel dictatam remittat: hæc vero processum criminalem ante latam sententiam abo-



6
leat vid. Dn. Joh. Sam. Stryk in erudita Dissert. de Abol. Princ.
c. 5. n. 20. Veruntamen hæc differentia perpetua non est. Nam
& per Indulgentiam criminis abolitionem fieri sæpius dicitur,
vid. L. 17. ff. ad Sci. Turp. l. 2. & 3. C. de Abol. Gen. l. 10. C. de
sent. pass. & rest. Quæ propter & nobis, quod in sequenti Ju-
ris problemate discutiendo voce abolitionis & indulgenti-
æ promiscue usi fuerimus, vitio vertendum non est.

CAP. II.

Expendens problema Juris

UTRUM PRINCEPS OB INSI- GNUM CORONATIONIS DIEM JUSTE POSSIT ABOLITIONEM CRIMINUM INDULGERE, NEC NE?

SUMMARIA.

<i>Rationes affirmandi (1) ex Ju- re Civili. §. 1.</i>	<i>nis ex delicto ad damnum da- tum refundendum. §. 5.</i>
<i>(2) Ab exemplo Davidis & Re- gum Angliæ inaugurando- rum. §. 2.</i>	<i>Sed (3) de remissione pœnæ pro- merita, circa quam notatur Ddorum dissensus. §. 6.</i>
<i>(3) A ratione medendi, & officio Principis Gratiuso. §. 3.</i>	<i>Concluditur, ob diem insignem non posse omnium omnino criminum abolitionem fieri. §. 7.</i>
<i>Not (1) hic non queri de remissio- ne pœnarum ab cessantem dolum. §. 4.</i>	<i>Resp. ad rationes affirm. (1) a- bolitionem Criminis Juris Rom.</i>
<i>Nec (2) de remissione obligatio-</i>	

Rom. fuisse saltem temporaria. §. 8.

lectus criminum observatur. §. 9.

Item (2) in Exemplo Davidis. In Regum Anglia Coronatione circa veniam delictorum, de-

Princeps ob diem insignem officium suum gratiosum exercere potest, sed non nisi erga merentes. §. 10.

§. I.

IN partem Problematis nostri affirmativam (1) afferri possunt Leges Civiles. L. 8. ff. ad SCtum Turpil. expresse ob diem insignem abolitionem concedit; quod aliqua ratione originem traxisse videtur ex jure Div. Num. c. 35. v. 28. Lev. 25. v. 10. quo homicida anno Jubilæo ad suos impune revertebatur. Si ergo ob quamvis diem insignem, multo magis ob diem felicissimum Coronatione solenni celebrem hoc licitum erit. Huc quoque pertinet L. 9. ff. ad SCt. Turp. quæ ob rem prospere gestam pariter abolitionem criminis publicam concedit. Imperatores, enim Rom. hoste devicto, ut Victoriam eo celebriorem efficerent, inter cætera Triumpho privilegia exercita, etiam reos vinculis & Carcere liberabant. Liv. L. 3. Decad. 3. sine dubio, ut efficacior in animos Civium felicitatis ex victoria ortæ imprimerent sensum. Ast si non major, certe haud inferior felicitatis gradus subditis contingit, ex Summa Regali dignitate, Principi Divinitus collata, quæ se à principè ceu capite, in membra quoque Corporis Civis diffundit, & majorem cum exteris Rebus publ. profalute subditorum concedit negotiandi facilitatem. Huc quoque adduci potest. L. 12. ff. ad SCt. Turp. quæ ob leviorum aliquam rationem



rationem, nempe ob consecrationem domus divinæ concedit publicam criminis abolitionem. Si itaque Imperatoribus & Principibus Rom. competit jus abolendi crimina & dimittendi reos ex carcere, ob levioerem quandam solennitatem *vid. Dd. ad T. ff. & C. de Sent. pass. & rest.* quid obstat quo minus nostris Regibus & Principibus, in suis Regnis & Territoriis non inferiorem habentibus potestatem, ob majorem diei Coronatione insignis felicitatem idem jus abolendi crimina concedamus? Quamvis, enim, dispositionem Juris Civ. quæ loquitur de Imperatore, aliis quoque Regibus & Principibus applicari posse, dubio caret. *vid. Merkel. ap. Klock. Conf. 102. n. 105.*

§. II. Huic etiam (3) succenturiantur mores Gentium moratarum. Solenne exemplum abolitionis criminis ob diem insignem etiam in S. Codice occurrit. *2. Sam. c. 19. v. 22.* Simci pessimus ille obtrestator Regiæ Majestatis, non maledictis solum Regem David fugam præfugio Absolone rebellionem moliente, capessentem incesserat, sed quoque lapidibus, aridisque terræ partibus in Regem patientissimam, & custodes corporis projectis, prodiderat vehementissimam animi sui libidinem Regi insultandi *vid. 2. Sam. c. 10. v. 5.* Cum vero, Absolone extincto & rebellionem sedata, Regi, in die insigni, quo solenniter reducebatur, occurreret obtrestator, veniamque criminis supplex rogaret, svadente licet Abisai, ut justum supplicium sumeretur à Violatore Majestatis divinitus consecratæ, noluit tamen Rex cæde & sanguinis effusione contaminari lætitiæ diei istius insignis, quo se quasi denuo Regem Israel factum esse sentiebat, *2. Sam. 19. v. 22.* Hunc Morém Reges quoque
An-

Angliæ imitari solent, quibus in solenni Coronationis die, in Thronum Regium deductis, venia delictorum publicari solet, quod in Caroli II. inauguratione factum esse videre est in *Theatr. Europ. Tom. IX. fol. 396.* In novissima Wilhelmi M. inauguratione idem observatum fuisse, testantur acta Coronationis à D. Becmanno in *Nor. Dig. Illust. Dissert. 6. C. 4. S. 7. p. 658. talata Verb.* Mitler Zeit publicirte der Lord Hoch, Cansler Sr. Majestät Dardon u.

§. III. Himores denique (3) suâ ratione haud destituuntur. Prout enim prudens medicus non semper urit secat, aut aliis modis dolorificis ægrum tractat, sed blandis quaque utitur medicamentis: Imo quandoque curam medendi plane suspendit, si ægrotum spontanea naturæ emendatione alterari videat: ita quoque delictis non semper pœna (quæ instar Medicinæ esse debet Arist. *L. 2. Nicom. c. 2.* Dn. Thom. *Jurupr. Div. L. 3. c. 7. S. 55.*) est imponenda, sed quandoque venia est concedenda præsertim si finis pœnarum etiam absque pœna obtineri posset vid. Pufend. *de Jur. N. & G. l. 8. c. 3. S. 15. in fin.* Functiones enim Regiæ sunt varia, diversis insignibus denotata. Nam in solenni Coronationis die, inter aliâ insignia Regalia, gladius quidem Regi solet accingi, quo significatur ipsius officium tuendi bonos, & animadvertendi in facinorosos vid. *Epist. ad Rom. c. 13. v. 4.* Solet tamen Regi inaugurato etiam exhiberi Sceptrum, signum Gratiæ *Lib. Esther. c. 5. v. 2.* quo non minus ad misericordiam & humanitatem exhibendam se adstrictum esse sentiat Rex, perquam maxime imitatur Imperi-

perium Divinum gratiosissimum vid. *L. fn. C. de Don. ins. Vir & Ux.* Hinc in Coratione Wilhelmi Regis Angliæ: Zulezt nach allem nahin der Erz · Bischoff den Scepter mit der Taube / gab denselben dem König in die rechte Hand und sprach: nehmet hin den Stab der Tugend und Gerechtigkeit / lernet die Gottfürchtigen handhaben / und die Gottlosen straffen / weiset die irrende zurecht / helffet den Fallenden wiederum auf zc. Dn. Beermann *d. L. p. 136.* Hoc autem officium Principis gratiosum, quo tempore justius exerceri potest, quam in ipso die Coronationis latissimo? quo cives novo Principis sui fastigio latificati, de novo quasi vivere incipiunt; cuius gaudii publici, ut & miseri carcere squalido ob delictum quandoque levius inclusi, participes fiant, & abolitionem criminum ex indulgentia Principis consequantur, æquum est, ut hoc gaudio publico alterati, aliam atque meliorem vitam agere discant.

§. IV. Veruntamen hæ rationes pro abolitione Criminum generali ob diem insignem allatæ, ut ut non sint contemnendæ nobis tamen nondum sufficere videntur, ut ea propter statuamus, consultum esse, ut ob diem Coronatione insignem omnes omnino facinorosi ex indulgentia Principis è carcere penitus dimittantur. Quod ut clarius evadat. Notamus (1) quod, cum ad quodvis verum delictum in subjecto agente dolum & proceresin adfuisse necessum sit *arg. L. 47. ff. ad l. Jul. Maj.* illa poenæ remissio, quæ ob ætatem nimis teneram, furorem, melancholiam, ebrietatem, ignorantiam, metum, & coactionem, vel aliam similem causam fit

fit vid. Carpz. *Prax. Crim. p. 3. Q. 142. & seqq.* non sit hujus loci, sed ad prudentis judicis cujuscunque officium, leges pœnales generalis ex variis loci temporis qualitatis quantitatis circumstantiis taxandi vel interpretandi arg. *L. 16. §. 1. ff. de Pœn.* ne ex sinistra & imprudenti pœnæ applicatione iniquitas resultet. Hic vero solliciti sumus de abolitione criminis ex indulgentia Principis concedenda, qua Lex pœnalis in certo subjeeto tollitur, quæ non est confundenda cum interpretatione Legis pœnalis restrictiva: Illa ad Jura Majestatis pertinet: hæc vero ad officium Judicis inferioris Mev. *ad Jus Lub. l. 4. T. 5. A. 1. n. 20.*

§. V. Not (2) quemvis facinorosum delinquere:
 (1) Contra proximum, damnum ei inferendo, cui ex Jure Naturæ obligatus est ad damnum datum refarcendum Pufend. *de Off. Hom. & Civ. L. 1. c. 6. §. 4.* (2) Contra Remp. tranquillitatem turbando & scandalum aliis præbendo, qua propter obligatus est ad pœnam à Superiore determinatam subeundam. Priorem criminis partem Princeps regulariter abolere nequit, quia jus quæsitum non nisi vel in pœnam, vel ob salutem Rei publ. auferre potest Grot. *L. 2. de Jure B. & P. c. 14. §. 7.*

§. VI. Not (3) gravissimum esse Ddorum dissen-
 sum circa quæstionem: quorumnam criminum pœna per indulgentiam aboleri possit? Quidam statuunt, delictis quibusdam jure Divino pœnam esse præscriptam, quam Princeps ceu inferior abolere nequeat arg. *c. 3. X. de Transl. Episc. l. 4. ff. de Recept. qui arb.* Alii vero

B 2



vero existimant, mensuram poenarum Legibus divinis determinatam respicere saltem Rempublicam Judaicam Seld. *L. 7. de J. N. & G. c. 5.* ea vero destructa, hodie non obligare amplius Principes, ut ad modum Legum judaicarum delicta coarceant vid. B. Gerh. *de Leg. Cerem. & Forens. Tr. 3. c. 2.* sed Principibus competere jus delictis, tales praescribendi poenas, prout Reipubl. cuiusvis expedit vid. Pufend. *L. 8. c. 3. §. 24.* quae sententia consuetudine est receptior arg. *Pr. Et. L. 6. T. 6. A. 3. §. 4. junct. Lev. 20. v. 11. & 12. Conf. Excel. Dn. D. Pauli Prof. hujus Academiae prim. Fautoris nostri venerandi Tr. de Veris Jurispr. Princip. p. 2. Q. 22. p. 150. & seqq.*

§. VII. His ita praesuppositis ad decisionem problematis nostri properamus, & concludimus quidem, quod, quemadmodum Princeps criminibus poenas ad finem poenarum (de quo vid. Dn. Thom. *L. 3. Jurispr. Div. c. 7. §. 40.*) obtinendum proportionatas determinare potest: ita quoque eas iterum abolere possit Zigler *de Jure Maj. l. 1. c. 8. §. 6.* modo abolitio criminis Reipubl. proficua, non vero noxia sit; noxia vero foret si ob gaudium publicum diei Coronatione insignis, omnes omnino facinorosi, etiam tales, qui nullam merentur misericordiam impune dimitterentur; ita namque Respubl. malis oneraretur hominibus, tranquillitatem & felicitatem publicam dubiam reddere solitis, arg. *L. 13. ff. de off. Praef.* Merito enim reprehendit Limnaeus, *de Jur. Publ. l. 4. c. 8. n. 276.* privilegia ista generalia, quibus indistincte veniam delictorum facinorosi possent consequi, nulla, inter delicta ac personas, habita distin-

stinctione, nulla observata causa. Talis consuetudo viguit apud Judæos, apud quos ob diem, Festo Paschatis insignem improbus latro præ Christo abolitionem criminis impetravit *Matth. 27. v. 15. Marci 15. v. 6.* Talis quoque apud Pontificios viget, ut si Cardinalis ad mortem condemnato latroni Sicario sodomitæ improbo &c. pileum injecerit, eum à mortis poena liberare possit vid. Anton. *Matth. Tr. de Crim. ad lib. 48. ff. Tit. 18. c. 1. n. 17.*

§. VIII. Rationes quoque supra in partem problematis affirmativam allatæ, re paulo accuratius perpensa, aliud inferre videntur. Nam *Leges Civ. 8. 9. 12.* ob diem insignem, rem prospere gestam, consecrationem domus divinæ, abolitionem publicam criminum concedentes, accusandi licentiam duntaxat suspendere videntur, interea dum festivitas durat, ita ut solennitatibus finitis, adhuc intra 30. dies reos repetendi superfit accusatori facultas *L. 10. §. 2. l. 12. ff. ad Sc. Turp.* Quod vero ex Jure Div. allatum est, ab hac quidem materia plane est alienum *p. Not. 1. in §. 4.* Nam de illis loquitur qui casu vel citra voluntatem homicidium comiserant *Seldem l. 4. de Jure N. & G.* non vero de eo, qui per industriam proximum occiderat, qui jure Asylorum, & abolitione criminis ob diem insignem non gaudebat *arg. Exod. 21. v. 14.* Quod Exempla Imperatorum Romanorum, in solenni actu triumphali reos ex carcere dimittentium attinet, si in illis non delectus personarum & criminum observatus fuit, per abolitionem istam, non tam utilitati Reipubl. quam potius propriæ Imperatorum ambitioni, pompam Triumphalem ad ostentationem quo-



quovismodo aurentium litatum fuisse, haud injuriose dixerim.

§. IX. Circa exemplum Davidis, obtricatori suo in solenni die recuperati Regni poenam remittentis, pariter dicendum, abolitionem criminis fuisse saltem temporariam, ut Rex isto die omnibus Israelitis documentum suae Clementiae, & injurias remittendi facilitatis praerebet, eaque ratione animos Israelitarum à se alienatos non armis, sed mansuetudine sibi conciliaret. Simeï vero sui sceleris justissimas postea dedisse poenas apparet ex *1. Reg. c. 2. v. 8. & 9.* In solenni autem Regum Angliae Coronatione, quamvis moris sit delictorum veniam publicari; solet tamen delectus criminum quoque institui ita, ut haec veniae publicatio non profit delictis gravissimis homicidii proditoris &c. *Dr. Becmann d. Diff. 5. c. 2. §. 12.* ex quorum criminum abolitione ut plurimum plus incommodi, quam utilitatis Reipubl. ob venire solet.

§. X. Ultima denique ratio ab exemplo medici, & officio Principis gratioso petita, id saltem inferre videtur, quod ob diem, laetitia publica insignem illis duntaxat facinorosis abolitio criminum indulgeri possit, qui (1) miseri sunt, seu misericordia Principis digni, id est qui ob merita vel propria vel majorum Reipubl. & Principi exhibita insignes, vera, verae poenitentiae edunt documenta, ut spes sit, eos in posterum meliorem vitam esse victuros. (2) qui squalido carcere detinentur: (3) ob delictum levius, vel cujus, propter abolitionem factam non est metuendum exemplum. Prout, enim, officium Prin-

Principis justitiæ, salutis Reipubl. est subordinatum, & ¹⁵
 propterea delictis pœnam dictare oportet, ut finis pœ-
 narum sc. emendatio delinquentis & aliorum, & Tran-
 quillitas publicâ obtineatur: ita officium Principis Gra-
 tiosum non minus salutis Reipubl. inservire debet, & de-
 linquentibus tum abolitionem criminis indulgere po-
 test, quando finis pœnarum absque pœna obtineri po-
 test. Non enim hocce gaudium publicum diei coro-
 nationis insignis apud omnes facinorosos æqualem ope-
 ratur effectum; aliis namque delicti inquit pudorem,
 & seriam pœnitentiam: aliis vero vix ullum imprimit
 sensum, adeoque, si ob diem insignem simul cum co-
 lumbis, etiam corvos, id est homines improbos pro-
 pter delictum in Reipubl. frequentissimum incarceratos,
 statuerem s esse dimittendos, nã! nos hãc sententiã
 Principis Gratiã turpiter abuteremur, & insignem Co-
 ronationis diem, gaudiumque publicum,
 contaminaremus insigniter.

F I N I S.

D. S. L. & G.



105

105
L. i. m. d. l. i. v. i. s. i. o. n. e. s.



7+10
7A-20C
↓


ULB Halle 3
004 598 555



K17







56.

750

B. C. D.

1701, 5

7

CAROLUS LUDOVICUS,
S. R. IMP. TRUCHSESSIVS HÆREDIT,
COMES DE WALDBURG.
DISSERTATIONEM ACADEMICAM
DE
CRIMINIS
ABOLITIONE,

Ob diem insignem,

Occasione L. s. ff. ad Senatus Conf. Turpili,
Ex consensu

Amplissimæ Facultatis Juridicæ,
In

ACADEMIA ALBERTINA.

SUB PRÆSIDIO

DAVID STAVINSKI,
J. U. L. & P. P. Extr.

Publice ventilationi subicit

Ad diem Januar. Anno 1701.

REGIOMONTI,

[Typis FRIDERICI REUSNERI, S. R. MAJ. & ACAD.
TYPOGR. HÆREDUM,